

## **DOMINICA IV POST PASCHA**

### **S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI**

#### **Themata sermonis**

Evangelium in quarta dominica post Pascha: *Vado ad eum qui me misit*, quod dividitur in tribus clausulis.

In primis sermo ad praelatum Ecclesiae, qualiter debeat laborare in agro fidelium, ibi: *Agricola expectat.*

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo in Annuntiatione vel Nativitate vel Passione Domini, ibi: *Ponam circulum in naribus tuis*, et ibi: *Numquid ponet circulum?*

Item sermo in Passione Domini, ibi: *Defecit sufflatorium in igne.*

Item de natura turturis et quid significet, et de duplici hereditate Iesu Christi.

DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo contra mundanos, ibi: *Cum venerit Paraclitus.*

Item de ovis venti et eorum diversa figura, et de perdicis natura, et quid haec omnia significant.

Item sermo contra fornicatores et ebriosos, qualiter perdant cor et fidem, ibi: *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor.*

Item sermo de iustitia sanctorum, ibi: *Et de iustitia.*

Item sermo de iudicio, in quo sex personae quaeruntur, ibi: *Et de iudicio.*

Item sermo contra gulosos et luxuriosos, ibi: *Si me audieris non erit.*

Item de dispositione auris et linguae, et quid significant, ibi: *Sit omnis homo velox.*

Item sermo contra iracundos, ibi: *Et tardus ad iram.*

DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de adventu Spiritus Sancti, ibi: *Angelus Domini descendit in piscinam.*

Item de proprietate palmae.

Item contra illos qui gratiam habent informem, ibi: *Omne animal quod vel contritis, et de surculo arbori inserto.*

## **Exordium. Qualiter debeat praelatus laborare in agro fidelium**

1. --- In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: *Vado ad eum, qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* (Io 16, 5).

Dicit Iacobus in Epistola canonica: *Agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum (Iac 5, 7).* Agricola, agrum colens est praedicator, qui in sudore vultus sui, sarculo verbi, colit agrum, idest animas fidelium. Ager dictus, quod in eo aliquid agatur. Omnis ager aut seminatur, aut arboribus inseritur vel conseritur, aut pascuis aptatur, aut diversis floribus picturatur. In anima semper aliquid est agendum, ne contingat illud quod dicit Salomon in Parabolis: Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum repleverant spinae (Cf. Prov 24, 30-31). Ubi enim est torpor pigritiae, cito succrescunt pungentes malarum cogitationum spinae. Et ideo semine praedicationis debet seminari, arboribus virtutum conseri, pascuis, idest vitae aeternae desideriiis, aptari, floribus diversis, idest sanctorum exemplis, picturari. Et si hic ager ita fuerit cultus, dicet de eo Dominus: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (Gen 27, 27).*

*Agricola ergo expectat pretiosum fructum terrae. Pro eo quod praedicator colit agrum Domini, ideo expectat fructum terrae, idest vitae aeternae. Unde Dominus praedicatori promittit in Ieremia: Si converteris, convertam te; si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris (Ier 15, 19). Si converteris, idest converti*

***feceris, ut dicit Iacobus, peccatorem ab errore viae suae convertam te gratiam infundendo; et si separaveris pretiosum, id est animam, quam pretioso sanguine comparavi, a vili, id est a peccato, quo nihil vilius, quasi os meum eris, quia in regeneratione per te impios iudicabo. Sed interim patienter est agendum. Unde subdit: Patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Temporaneum appellatur quod praematuratur; serotinum, quando est perfecta maturatio. Praedicator ergo, si patienter et cum gaudio sustinuerit, cum in varias tentationes inciderit, accipiet temporaneum gratiae in praesenti et serotinum gloriae in futuro. De quo dicit Dominus in hodierno Evangelio: Vado ad eum qui me misit.***

**2. -- Nota quod in hoc Evangelio tria notantur. Primum, Iesu Christi ad Patrem reversio, cum praemittitur: *Vado ad eum qui me misit*. Secundum, mundi de peccato et de iustitia et de iudicio redargutio, cum subiungitur: *Cum venerit ille arguet mundum* etc. Tertium, Spiritus veritatis inspiratio, cum additur: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. In hac et sequenti dominica leguntur epistolae canonicae. Introitus missae istius dominicae: *Cantate Domino canticum novum*. Et dicitur epistola beati Iacobi: *Omne datum optimum, quam in tribus particulis volumus dividere et supradictis tribus Evangelii clausulis concordare. Prima est: Omne datum optimum. Secunda, Scientes, fratres mei dilectissimi. Tertia, Propter quod abiicientes omnem immunditiam* etc.**

## **I - De Iesu Christi ad Patrem reversione**

**3. --- Dicamus ergo: *Vado ad eum qui me misit*. Paulo ante dixerat Dominus: *Quo ego vado scitis et viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis (Io 14, 4-5)*.**

Dominus post pauca subintulit: *Vado ad eum qui me misit. Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (Io 16, 28)*. Hic est ille circulus, de quo dicit Pater in Isaia, diabolo comminando: *Ponam circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam per quam venisti (Is 37, 29)*. Circulus dictus, eo quod in circumductione currit, significat Iesum Christum, qui, sicut circulus, est regressus unde egressus. Nam egressus est a Patre, excursus usque ad inferos, recursus ad sedem Dei. Circulus igitur positus est in naribus diaboli, quia sapientia Dei incarnata est, ut nos veram doceret sapientiam, et sic per sapientiam ab eo edoctam, diaboli insidias, quae in naribus designantur, adnihilaret. Nares dictae, quod per eas aer vel spiritus manat, insidiarum calliditatem significant. Nam coniecturis exterioribus et hominum complexione, quasi per odoratum narium, praesentit et odorat diabolus ad quae vitia unusquisque sit magis applicabilis, et ibi laqueos tendit. Sed Dei sapientia unusquisque eruditus istos laqueos si voluerit evitabit.

*Et ponam frenum in labiis tuis.* Frenum est crux Iesu Christi, qua diabolus, infrenatus tamquam equus, nos non potest devorare sicut consueverat. Unde habes concordantiam in Iob: *Numquid pones circulum in naribus behemoth, et armilla perforabis maxillam eius? (Iob 40, 21)*. Armilla, ab armorum virtute dicta, est crux Iesu Christi, de qua dicit Isaia: *Et factus est principatus super humerum eius (Is 9, 6)*. Hac armilla Dei Filius maxillam diaboli perforavit, et de eius fauce humanum genus liberavit. Unde subditur: *Et reducam te in viam per quam venisti*. Per eandem viam amisit dominium, per quam sibi usurpaverat mundi dominatum; decepit siquidem hominem et mulierem per lignum vetitum et serpentem. Per hominem, idest Iesum Christum, et mulierem, idest beatam Virginem, per lignum crucis et serpentem, idest mortem carnis Christi, quae significabatur per serpentem,

quem Moyses in deserto elevavit in ligno (Cf. Num 21, 8-9; Io 3, 14), diabolus in humano genere perdidit principatum. Peracto ergo nostrae salutis negotio, dicit: *Vado ad eum qui misit me.*

Super hoc habes concordantiam in Tobia, ubi Raphael, postquam daemonium religavit, Tobiae oculos illuminavit, dixit: *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit (Tob 12, 20).* Raphael interpretatur medicina Dei. Hic est Iesus Christus, quia theriacam de serpente carnis suae in ligno affixae nobis fecit et sic diabolum religavit et humani generis oculos illuminavit. Et tunc dixit: *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit, vel: Vado ad eum qui misit me.*

4. --- Pater misit nobis Filium, datum optimum et donum perfectum, de quo habes concordantiam in hodierna epistola beati Iacobi: *Omne datum optimum et omne donum perfectum etc. (Iac 1, 17).* *Optimum*, idest summum; *perfectum* est cui nihil potest adici. Christus est *datum optimum*, quia a Patre, summus eius Filius coaeternus, nobis est datus. Unde dicitur in secundo libro Regum: *Tertium bellum fuit in Gob contra Philisthaeos, in quo percussit Adeodatus, filius Saltus, polymitarius, Bethleemites, Goliath Gethaeum (2 Reg 21, 19).*

[*Adeodatus*], David - AD LITTERAM - [quia] fuit datus a Deo populo Israel. *Filius Saltus*, quia pascebat oves patris sui in saltu, unde: *De post fetantes accepit eum (Ps 77, 70).* *Polymitarius*, quia mater eius fuit de genere Beseleel, qui fuit, ut dicitur in Exodo, polymitarius, idest artifex vestium: *polymita* est vestis multi coloris. *Bethleemites*, quia in Bethleem extitit oriundus.

ALLEGORICE. *Tertium bellum fuit in Gob etc.* Nota quod triplex bellum diabolus fecit Domino: in caelo, cum per superbiam voluit usurpare divinitatis excellentiam; in

paradiso, cum ad iniuriam Creatoris, falsae promissionis blanditiis, primos parentes decepit; in mundo, cum ipsum Deum et hominem tentavit in deserto et affigi fecit crucis patibulo. Unde de hoc tertio bello dicitur: *Tertium bellum fuit in Gob*, quod interpretatur lacus, et significat mundum, in quo est lacus miseriae et lutum faecis (Cf. Ps 39, 3). Lacus dictus, quasi aquae locus, stat enim, nec profluit. In hoc mundo est aquae, idest superbiae, luxuriae et avaritiae locus, quae numquam profluunt, immo quotidie crescunt. In hoc lacu David, qui interpretatur misericors, est Iesus Christus, cuius misericordiae non est numerus, qui a Deo Patre sola misericordia nobis fuit datus, qui est omne datum optimum; interfecit Goliath Gethaeum. Goliath interpretatur transfigurans; Gethaeus, formidans; et significat diabolum, qui *transfiguratur se in angelum lucis* (2 Cor 11, 14), quia in propria forma formidat deprehendi. Hunc interfecit noster David, cum ei mundi dominium abstulit et carcere inferni reclusit.

Fuit *filius Saltus*. Saltus dictus, eo quod in ipso arbores in altum saliant. Saltus fuerunt antiqui patres, patriarchae et prophetae, qui, Dei spiritu inspirati, tamquam arbores in altum salientes, de Dei Filio incarnando prophetaverunt, de quorum genere accepit carnem, et ideo dicitur *filius Saltus*.

Dicitur etiam *polymitaris*. Vestis polymita quaecumque fit acu. Nota quod in acu sunt duae partes, acuta et recusa: in acuta, divinitas; in recusa humanitas designatur. De hac acu dicit ipse in Evangelio: Non potest camelus per foramen acus transire (Cf. Mt 19, 24; Lc 18, 25). Camelus gibbosus, idest dives pecuniosus, non potest intrare per foramen acus, idest paupertatem Iesu Christi. Vel, in parte recusa, mansuetudo misericordiae, quam habuit in primo adventu; in acuta, punctio iustitiae, qua perforabit in iudicio, designatur. Cum tali acu noster

*polymitarius* facit tunicam polymitam, vario virtutum colore distinctam, animae fideli. Unde in Parabolis: *Stragulatam vestem fecit sibi; byssus et purpura indumentum eius (Prov 31, 22)*. Vestis stragulata dicitur, quae est multiplici colore variata. Byssus castitatis et purpura dominicae Passionis est indumentum animae fidelis.

Dicitur etiam *Bethleemites*. Bethleem interpretatur domus panis. Ipse enim in domo Ecclesiae reficit nos sui corporis pane. *Panis, inquit, quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita (Io 6, 52)*.

Aliter. Iesus Christus fuit nobis *a Deo datus* in Nativitate. Unde Isaias: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis (Is 9, 6)*. Fuit *filius Saltus* in praedicatione et Passione. In praedicatione, quia elegit apostolos tamquam arbores in altum salientes, unde dixit: *Ego elegi vos, ut eatis et fructum afferatis (Io 15, 16)*; in Passione, quia peccatorum nostrorum spinis coronatus. Fuit *polymitarius* in Resurrectione, in qua tunicam polymitam, idest carnem gloriosam, de Virgine Maria assumptam, in ligno crucis pro nobis extensam, clavis laceratam, lancea perforatam, acu suae potentiae et sapientiae resarcivit et immortalitati restituit. *Bethleemites* erit nobis in aeterna beatitudine, in qua satiabimur, cum videbimus eum facie ad faciem (Cf. 1 Cor 13, 12). Bene ergo dicitur: *Omne datum optimum*. Pater luminum, tamquam munificus et pius eleemosynarius, nobis pauperibus non de bono vel meliori sed de optimo nobis dedit.

5. --- Sequitur. *Et omne donum perfectum*. Unde Apostolus: *Cum ipso omnia nobis donavit* (Cf. Rom 8, 32); et iterum: *Ipsam dedit caput Ecclesiae (Eph 1, 22)*. Ibi dicit GLOSSA: Maius donum dare non potuit. Recte Christus dicitur omne donum perfectum, quia, cum Pater eum nobis donavit, omnia per eum perfecit. Unde: *Filius*

***hominis venit salvare quod perierat (Mt 18, 11). Et ideo hodie in introitu missae cantat Ecclesia: Cantate Domino canticum novum (Ps 97, 1) ac si diceret: O fideles, per Filium hominis salvati et innovati, cantate canticum novum. Vetera enim debetis proicere, novis supervenientibus. Cantate, inquam, quia Dominus Pater mirabilia fecit, cum omne datum optimum, suum scilicet Filium, nobis misit. Ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam (Ps 97, 2), cum omne donum perfectum, ipsum Unigenitum, gentes iustificans, omnia perficiens nobis dedit.***

**Bene ergo dicitur: *Omne donum perfectum. Sex diebus omnia fecit. Dixit, et facta sunt (Ps 148, 5). Sexta aetate Verbum caro factum est (Io 1, 14). Sexta die et sexta hora pro nobis est passus, et sic omnia perfecit. Unde dixit in cruce: Consummatum est (Io 19, 30). Quanta distantia est inter dicere et facere tanta fuit inter creare et recreare. Levis et facilis fuit creatio, quia solo tantum verbo, immo sola Dei voluntate, cuius dicere est velle; sed recreatio valde difficilis, quia passione et morte. Adam de facili creatus fuit et facillime cecidit. Vae nobis miseris, qui tanta passione, angustia et dolore recreati et redempti sumus. et tam facillime et gravissime peccamus, et tantum laborem Domini facimus vacuum.***

**Unde ipse dicit in Isaia: *In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi (Is 49, 4). In creatione Dominus non laboravit, quia quaecumque voluit fecit (Ps 134, 6); sed in recreatione tantum laboravit, quod factus fuit sudor eius tamquam guttae sanguinis decurrentis in terram (Lc 22, 44). Si tantam angustiam habuit in oratione, quantam credis habuisse in crucifixione? Dominus ergo laboravit, et laborando de manu diaboli nos eripuit. Nos vero, mortaliter peccantes, in manum diaboli incidimus, et sic, quantum in nobis est, laborem Domini facimus vacuum. Et ideo dicit: *In vacuum****



*laboravi, sine causa, alicuius scilicet utilitatis. Non enim video aliquem profectum meae Passionis, quia non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Ps 13, 1). Homicidium, adulterium, periurium, furtum, maledictum et mendacium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit (Os 4, 2). Sacerdotes, inquit Ieremias, non dixerunt: Ubi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, et pastores, idest praelati, praevaricati sunt in me, et prophetae, idest qui praedicant, prophetaverunt in Baal (Ier 2,8), idest in superiori; praedicant enim, ut superiores videantur. Bene ergo dicit Dominus: In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi. Fortitudo divinitatis quasi consumpta fuit in infirmitate humanitatis. Nonne videtur tibi fortitudinem fuisse consumptam, cum ille, Deus et homo, ad columnam, tamquam latro, ligabatur, flagellis caedebatur, alapis colaphizabatur, sputis liniebatur, eius barba depilabatur, caput angelis tremendum arundine percutiebatur, et inter duos latrones crucifigebatur? Vae ergo miseris, vanis et insanis, quos ista a mundi vanitate non retrahunt. Vane fortitudinem suam consumpsit, quia vani facti sunt, pro quibus consumpsit. Unde valde timendum est ne, sicut dixit in principio: Poenitet me fecisse hominem (Cf. Gen 6, 7) sic modo dicat: Poenitet me redemisse hominem, quia consumpsi fortitudinem meam, sed malitiae eorum non sunt consumptae.*

6. --- Unde Ieremias: *Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum; frustra conflavit conflator, malitiae enim eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos (Ier 6, 29-30).* In hac auctoritate quinque sunt notabilia: conflator et sufflatorium, ignis, plumbum et argentum. In conflatore, divinitas; in sufflatorio, praedicatio; in igne, Passio; in plumbo, Iesu Christi humanitas; in argento animae nostrae designantur.

In fornace ignis argentum plumbo purgatur et clarificatur. Ad purgandum argenti scoriam, idest animarum nostrarum malitiam, convenerunt Deus et homo et ipsius praedicatio. Sed frustra conflavit conflator, et vane fortitudinem suam consumpsit. Sufflatorium defecit et plumbum in igne Passionis consumptum fuit, et sic in vanum, sine causa laboravit, quia malitiae nostrae non sunt consumptae. Et ideo argentum reprobum proicietur in gehennae sterquiliniurn, quia animae peccatorum mittentur in ardentis ignis stagnum. Unde Osee: *Desiderabile argentum eorum urtica hereditabit, et lappa in tabernaculis eorum (Os 9, 6)*. Urtica, quae urit, ignem inferni; lappa, quae haeret, tenacitatem poenae significat, quibus animae impiorum cruciabuntur, eo quod noluerunt recipere perfectum Dei donum, de quo dicitur: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Iac 1, 17)*, tamquam radius a sole. Sicut enim radius solis, a sole descendens, mundum illuminat, et tamen a sole numquam recedit, sic Dei Filius a Patre descendens mundum illuminavit, et tamen a Patre numquam discessit, quia unum cum Patre. Unde ipse dixit in Ioanne: *Ego et Pater unum sumus (Io 10, 30)*.

Dicit IOANNES DAMASCENUS: Incarnatum est Verbum et a propria [incorporalitate] non excessit, ut totum incarnatum est et totum est incircumscriptum. Minoratur corporaliter et contrahitur, et divine est incircumscriptum, non extensa carne eius, circumscripta divinitate. In omnibus igitur et super omnia erat, et in utero sanctae Genitricis existebat. AUGUSTINUS: Cum legitur: *Verbum caro factum est*, in Verbo, verum Dei Filium, in carne agnosco verum hominis filium, et utrumque simul unam personam, Deum et hominem, ineffabilis gratiae largitate coniunctum. Bene ergo dicitur: *Descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (Iac 1, 17)*. Non est in Deo

vicissitudo, ut modo bona modo mala det, vel bona det cum quadam admixtione malorum. In eius natura nulla mutabilitas, sed identitas, et non solum in natura sed etiam in distributione donorum, quia sola dona lucis et non tenebras errorum immittit. De quo subditur: *Voluntarie enim genuit nos, prius filios tenebrarum, per aquam regenerationis in filios lucis, verbo veritatis, id est doctrina evangelii, ad hoc, scilicet, ut simus initium aliquod creaturae eius;* quia modo incipit reformari ratio, in futuro plene reformabitur. Vel, secundum aliam translationem, *ut simus primitiae creaturarum eius,* id est primatum tenentes in creaturis.

Vel, ad hoc genuit nos verbo veritatis, ut incipiamus gemere contritione, parturire confessione; quia *omnis creatura, secundum Apostolum, ingemiscit et parturit usque adhuc (Rom 8, 22),* ut postmodum gaudeamus cum Dei Filio, qui dicit: *Vado ad eum qui me misit.*

7. --- Christus fecit sicut facit turtur, quae hiemis tempore ad valles descendit et in truncis arborum concavis habitat deplumata; in aestate vero ad montana revertitur. Sic Christus, in hieme infidelitatis et frigore daemoniaca persecutionis, descendit in uterum humillimae Virginis et habitavit in hoc mundo pauper et abiectus, tamquam plumis deplumatus. De hac turture dicit Salomon in Canticis: *Vox turturis audita est in terra nostra (Cant 2, 12).* Vox turturis est gemitus et planctus. Christus descendit gemere et plangere, qui numquam legitur risisse, ut nos doceret gemere et plangere. *Audita est ergo vox turturis in terra nostra, scilicet: Agite poenitentiam! (Mt 3, 2).* Cum vero appropinquavit aestas et fervere coepit iudaicae persecutionis crudelitas et exarsit calor Passionis, tunc rediit ad montem, id est Patrem. Unde dicit: *Vado ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Interrogemus Christum, qua via ad Patrem vadit. Et respondebit: Per viam crucis!

Unde ipse in Luca: *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? (Lc 24, 26).*

Christus duplicem habuit hereditatem: unam ex parte Matris, scilicet laborem et dolorem, aliam ex parte Patris, scilicet gaudium et quietem. Ex quo ergo nos coheredes eius sumus, duplicem illam hereditatem quaerere debemus. Unde erramus, cum volumus habere secundam sine prima, quia Dominus secundam plantavit in prima, ne unam sine altera quaereremus. Inseruit enim lignum vitae in lignum scientiae boni et mali, cum *Verbum caro factum est (Io 1, 14)*. Unde: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (Ps 1, 3)*. Et Isaias: *Fundans terram et plantans caelos (Is 51, 16)*. In terra humanitatis, fundata super septem columnas gratiae septiformis, plantavit caelos divinitatis. Primam ergo hereditatem, quam nobis dimisit Iesus Christus, possideamus, ut ad secundam pervenire mereamur.

## II - De mundi redargutione

8. --- Sequitur secundum. *Cum venerit Paraclitus ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iustitia vero, quia ad Patrem vado et iam non videbitis me; de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est (Io 16, 8-11)*. Mundus dictus, quia semper est in motu; nulla enim requies eius elementis concessa est. Mundus graece *cosmos*, homo vero *microcosmos*, idest minor mundus, nominatur. Sicut enim mundus ex quattuor concreatus est elementis, ita hominem ex quattuor constare humoribus, uno temperamento commixtum, veteres dixerunt. Mundus mundanos significat, qui semper sunt in motu. Unde de eis dicit sanctus Iudas, in sua Canonica: *Hi sunt nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris despumantes suas*

***confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum in aeternum servata est (Iud 1, 12-13).*** In hac auctoritate sunt quattuor notabilia: nubes, arbores, fluctus et sidera. In his quattuor mundanorum quattuor vitia comprehendit, scilicet superbiam, avaritiam, luxuriam et hypocrisim.

Nubes leves et obscurae superbos significant, qui, animi levitate et mentis obscuritate, per diversa peccata circumferuntur, aqua compunctionis, lumine gratiae septiformis carentes. Unde de eis dicit Propheta: ***Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti (Ps 82, 14).*** Nota ista duo: rota et stipula. Rota dicta, quod quasi ruat. Stipula dicta, quasi usta. Superbos Deus quasi rotam ponit, dum eos de peccato in peccatum ruere permittit, et postea ponet eos quasi stipulam ante faciem venti, quia, qui tamquam stipula ab humore gratiae fuerunt aridi, igne poenae aeternae erunt combusti.

Arbores autumnales, infructuosae, sunt avari, qui inutiliter terram occupant; quos, ut arborem in qua non invenit fructum, Dominus maledicit (Cf. Mc 11, 21). Nota ista quattuor verba: autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae. Autumnus a tempestate est dictus, in quo folia cadunt. Avari sunt arbores autumnales, quae, mortis tempestate adveniente, foliis divitiarum, quibus ornati et cooperti incedebant, spoliabuntur; et quia infructuosi fuerunt, in ignem aeternum mittentur - quia ***omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur etc. (Mt 3, 10)***; bis mortui, quia anima et corpore in inferno erunt sepulti, de terra viventium eradicati.

Fluctus feri maris sunt luxuriosi. Fluctus dicti, quod flatibus ventorum agitati fluctuant. Luxuriosi enim, immundorum spirituum suggestionibus agitati, diversis cogitationibus fluctuant et in suae animae confusionem luxuriam despumant. Faciunt enim sicut olla posita super

**ignem, quae spumam emittit. Olla est cor peccatoris, in qua est aqua concupiscentiae carnalis, cui supponitur ignis diabolicae suggestionis, et sic despumat luxuriam suae confusionis.**

**Sidera errantia sunt hypocritae et falsi religiosi. Sidera dicta, quod ea navigantes considerant et per ea dirigunt suum cursum. Boni Ecclesiae praelati et veri religiosi sunt sidera lucentia in caliginoso loco, quae per hoc mare navigantes recto cursu ad vitae aeternae portum dirigunt. Sed hypocritae et falsi religiosi sunt sidera errantia, aliis naufragii existentes causa, et ideo procella et tempestate mortis aeternae percellentur.**

**9. --- Omnes tales sunt quasi ova venti, quae pullos non faciunt. Unde dicitur quod perdices libido sic agitat, ut si ventus a masculis flaverit, fiant pregnantes odore, et faciunt ova non pullificantia; et omnia ista ova sunt ova venti. Perdix, avis dolosa et immunda, supradictos peccatores significat, habentes, ut dicit Petrus, oculos plenos adulterii et insatiabilis delicti (Cf. 2 Pt 2, 14), qui, vento diabolicae suggestionis, concipiunt ova venti, idest vanitatis mundanae amorem, de quo dicit Osee: Ventum seminaverunt et turbinem metent; culmus stans non est in eis, nec faciet farinam (Cf. Os 8, 7). Qui ventum mundani amoris seminat, procul dubio turbinem mortis aeternae metet. Culmus, idest spica, a qua spiculum dicitur, est cordis contritio, quae peccatorem pungit et farinam confessionis facit. Talis culmus non stat, nec farinam facit in peccatoribus, qui non pullos, idest opera vitae aeternae, sed ventum vanitatis mundanae concipiunt.**

**Et nota quod ova diversantur in figura, quoniam quaedam sunt acuta et quaedam lata; et prius exit latum et post acutum. Ova vero longa acuti capitis producent masculos; rotunda vero, et habentia in loco acuminis rotundum, producent feminas. Per hoc bene potest**

cognosci quae ova producant masculos et quae feminas. Similiter diabolus, per signa acuminis et rotunditatis, percipit de hominibus qui sunt masculi et quae feminae. In acumine, compunctio et caelestium contemplatio; in rotunditate, carnis delectatio et mundanorum circuitio. *Circuivi, inquit, terram et perambulavi eam (Iob 1, 7). Circuit tamquam leo, quaerens quem devoret (1 Pt 5, 8).* Unde dicit in Isaia: *Invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum; et sicut colliguntur ova quae derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi; et non fuit qui moveret pennam, scilicet virtutum, et aperiret os, per confessionem, et ganniret (Is 10, 14), per interiorum compunctionem.*

Istud non faciunt masculi, idest viri iusti, mente compuncti, contemplationi intenti; sed feminae, idest mundani, transitoriis effeminati, de quibus dicitur: *Cum venerit Paraclitus, arguet mundum etc. Paraclisis graece, consolatio latine, inde Paraclitus, idest Consolator, cuius consolationem mundani nolunt recipere, quia habent suam consolationem. Unde de eis dicit Dominus: Vae vobis, qui habetis consolationem vestram (Lc 6, 24).* Et in Isaia: *Numquid non vos filii scelesti, semen mendax, qui consolamini in diis, subter omne lignum frondosum? (Is 57, 4-5).* Mundani sunt filii scelesti superbia, semen mendax luxuria; qui consolantur in diis avaritiae, quae est idolorum servitus (Col 3, 5) subter omne lignum frondosum, idest gloriam temporalium.

10. --- *Cum venerit ergo Paraclitus, arguet mundum de peccato, quod habet, et de iustitia, quam non habet, et de iudicio, quod non timet. Nota ista tria: de peccato, de iustitia et de iudicio. Peccator a pellice, idest meretrice, vocatus, quasi pellicator; quod nomen antiquitus flagitiosorum fuit, post vero transivit in appellationem omnium iniquorum. Peccato siquidem fornicationis plusquam alio vitio mundus est coinquinatus.*

**Unde Osee: *Fornicati sunt et non cessaverunt, quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor (Os 4, 10-11).***

**Nota quod in corde sunt tria: indignatio, sedes sapientiae et dilectio. Cor est membrum nobile et indignans, nec patitur immundum intrare: istam indignationem fornicatio facit ipsum amittere, dum patitur talem morsellum glutire. Item in corde, sedes sapientiae: hanc facit vinum amittere. Similiter corde diligimus: hanc dilectionem amittit qui, temporalium cupiditate inebriatus, proximo non subvenit. Quod peccatum fornicationis auferat cor manifestum est in Salomone, qui adoravit idola (Cf. 3 Reg 11, 4). Dicit Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam (Rom 10, 10)*, sed fornicatio aufert cor, in quo est fides.**

**Ergo propter fornicationem amittitur fides. Unde dicitur fornicatio, idest formae necatio, idest animae, ad similitudinem Dei formatae, mortificatio. Vita animae, fides. *Christum, inquit Apostolus, per fidem habitare in cordibus nostris (Eph 3, 17)*. Sed fornicatio aufert cor, in quo est vita, et sic moritur anima, quia cessante causa cessat effectus. Et ideo dicit Dominus: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me*. Paraclitus ergo per ministros praedicationis arguit mundum de peccato fornicationis.**

**11. --- *Et de iustitia*. Iustitia est qua recte iudicando sua cuique tribuuntur, sic dicta quasi iuris status. Iustitia est habitus animi, communi utilitate servata, suam cuique tribuere dignitatem. Iustitiae partes sunt: timere Deum, venerari religionem, pietatem, humanitatem, aequi bonique delectatio, odium malorum, referendae gratiae studium. Hanc iustitiam mundus non habet, quia Deum non timet, religionem inhonorat, bonum odit, ingratus Deo existit. *De iustitia, quam non fecit, quia pro peccatis***



commissis se secundum iustitiam non punivit. *De iustitia*, non sua sed credentium, mundus arguitur, quorum comparatione damnatur. Unde non ait: Non videbit ple mundus, sed: *Non videbitis me* vos, apostoli; contra mundanos, qui dicunt: Quomodo credemus quod non videmus? Est vera iustitia, idest fides iustificans, credere quod non videtur.

Vel, *arguet mundum de iustitia* sanctorum. Unde Dominus per Zachariam: *Perpendiculum extendetur super Ierusalem (Zach 1, 16)*. Perpendiculum est instrumentum caementarii, a *perpendo perpendis* sic dictum. Est autem petra vel plumbum in filo ligatum, quo parietes perpenduntur. Iustitia sanctorum est quasi perpendiculum quod extenditur super Ierusalem, idest super quamlibet fidelem animam, ut ad eorum vitae exemplum vitam suam informet et commensuret. Quoties enim festa sanctorum recoluntur, toties super vitam peccatorum perpendiculum applicatur; quorum festa ideo recolimus, ut de ipsorum vita vivendi formam accipiamus. Ridiculum est ergo in sanctorum solemnibus velle sanctos cibis honorare, quos novimus ieiuniis in caelos ascendisse. Si enim mundum diligendo et gloriam eius, carnem in deliciis nutriendo, pecuniam congregando, vitam sanctorum non imitamur, ipsorum iustitia nos esse damnandos comprobabit.

12. --- *Et de iudicio*. Nota quod in omni iudicio sex personae quaeruntur: iudex, accusator, reus et tres testes. Iudex est sacerdos; accusator et reus est peccator, qui seipsum reum debet accusare; tres testes sunt contritio, confessio, satisfactio, quae testimonium perhibent peccatori quod vere sit poenitens. Dicit AUGUSTINUS: Ascende, o homo, tribunal mentis tuae; sit ratio iudicans, conscientia accusans, dolor crucians, timor carnifex; locum testium obtineant opera. Mundani, qui tale iudicium nolunt subire, ideo cum principe suo diabolo, qui iam iudicatus est, in extremi iudicii examine,

irrevocabili sententia aeternaliter damnati iudicabuntur.

Iacobus apostolus, ut huiusmodi homines instrueret peccatum cavere, iustitiam diligere, iudicium timere, in secunda particula hodiernae epistolae subiungit dicens: *Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram; ira enim viri iustitiam Dei non operatur (Iac 1, 19-20)*. Omnis homo debet esse velox ad audiendum illud quod dicit Apostolus: *Fugite fornicationem (1 Cor 6, 18)*.

13. --- Et Dominus in Psalmo: *Si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum (Ps 80, 9-10)*. *Deus recens* est venter, qui semper recentia quaerit. Iste deus est in illis, de quibus dicit Apostolus: *Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt (Phil 3, 19)*. *Deus alienus*, hominem a Deo alienans, est luxuria. Hic est deus Beelphegor, quod interpretatur vetustas devorans. Haec est luxuria, malum vetus, morbus antiquus, omnia bona devorans. Unde super hoc habes concordantiam in libro Numeri: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quae vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, et adoraverunt deos earum; initiatusque est Israel Beelphegor. Et iratus Dominus, ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel (Num 25, 1-4)*. Filiae Moab, qui interpretatur ex patre, sunt gula et luxuria et cetera vitia, quae sunt ex patre diabolo, cum quibus fornicatur populus mundanus. Comedunt et adorant deos earum, quia gulae et luxuriae sunt dediti, et ideo principes populi patibulis sunt suspendendi. Principes populi sunt quinque sensus corporis, qui pro commissis debent suspendi poenitentiae patibulis. Et hoc contra solem. In sole claritas mundana designatur, in qua, quia peccavimus, contra ipsam operibus poenitentiae

insistamus.

Vel, *contra solem*, idest si publice peccavimus, publice poeniteamus. Nota quod super hunc locum: *Tolle cunctos principes* etc., introducit ORIGENES hanc auctoritatem, exponens eam de angelis dicens: Si enim mercedem sperat angelus, quia nos consignatos accepit a Deo, pro his quae bene gessimus, timet et culpari pro male gestis. Et ideo ostentari dicuntur contra solem, ut appareat quorum culpa commissa sunt peccata, per quae Beelphegor, vel cuilibet idolo, pro qualitate peccati consecramur. Quod si princeps, idest cuique angelus consignatus, non defuit, sed de bonis commonuit et locutus est in corde meo dumtaxat, in quo me conscientia revocabat a peccato, et ego, spretis eius monitis et conscientiae retinaculo, in peccato prorupi, duplicabitur mihi poena pro contemptu monitoris et facinore commissi. Ne mireris si angeli veniant cum hominibus ad iudicium. Ipse enim Dominus ad iudicium veniet cum principibus populi sui.

Item, dicit super eundem locum: Secundum Apocalypsim Ioannis: Unicuique Ecclesiae generaliter praeest angelus, qui vel collaudatur pro bene gestis populi, vel pro delictis populi culpatur. In quo stupendi mysterii admiratione promoveor, quod tanta cura Deo est de nobis, ut etiam angelos suos culpari pro nobis et confutari patiatur. Sicut enim, cum paedagogo traditur puer, si minus dignis imbutus appareat disciplinis, culpa paedagogus arguitur, nisi durus, protervus, lascivus paedagogi salutaria monita spreverit. Quid autem illi animae fiat, docet Isaias: *Derelinquetur in vinea Sion sicut tabernaculum in vinea (Is 1, 8)*. Ibidem dicit: Maior cura Deo est animae salutis, quam diabolo perditionis.

14. --- *Sit ergo omnis homo velox ad audiendum.* Naturaliter enim omnis homo debet esse velox ad

audiendum, nam auris dicta, quasi avide rapiens, vel hauriens sonum. Et nota quod in posteriori capitis non est caro, neque cerebrum; et in posteriori capitis est instrumentum auditus. Et hoc fuit rectum, quia posterius capitis est vacuum, plenum aere, et instrumentum auditus est aereum, et ideo homo velociter audit, nisi impedimentum interveniat. In capite, idest mente, in qua non est caro propriae voluntatis, sed aer mentis devotae, velociter transit vox obedientiae, unde: *In auditu auris obedivit mihi (Ps 17, 45)*. Et Samuel, in primo libro Regum, *Loquere, inquit, Domine, quia audit servus tuus (1 Reg 3, 10)*. Et, ut obedientia velociter penetret, oportet quod sit aerea, pura, percipiens caelestia, nihil habens de terra. *Sit ergo omnis homo velox ad audiendum.*

*Et tardus ad loquendum.* Quod ipsa natura fieri docet, quae linguam quasi sub duplici ostio reclusit, ne libere evagaret. Natura enim quasi duo ostia, scilicet dentes et labia, anteposuit linguae, ad significandum quod sine magna cautela verbum non debet exire. Ista duo ostia discrete clauserat ille, qui dicebat: *Posui custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis (Ps 140, 3)*. Et bene dicit *ostium circumstantiae*, ut non tantum a verbo illicito, sed etiam a circumstantia verbi illiciti caveret. Verbigratia, quidam sunt qui aperte alicui detrahere erubescunt, sed sub cuiusdam laudis pallio ipsi detrahunt, et, quod deterius est, in confessione hoc ipsum faciunt.

Et nota quod non tantum ostium dentium, sed etiam labiorum est claudendum. Ille ostium dentium et labiorum claudit, qui et a detractone et adulatione se subtrahit. Sed lingua - *inquietum malum*, ut dicit Iacobus, *plena veneno mortifero (Iac 3, 8)*, ignis silvam virtutum incendens, rotam nativitatis nostrae inflammans - primum et secundum ostium frangit et tamquam meretrix in plateam exit, garrula et vaga, quietis impatiens (Cf. Prov

7, 8.10.11), omnia perturbans. Unde de ea dicit beatus BERNARDUS: Quis numeret quantas modicum membrum linguae attrahat sordes, quam multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur, quanta sit perniciēs oris incircumscripti. Nemo parvi aestimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Siquidem acceptabile est tempus et dies salutis; evolat verbum irrevocabile, tempus irremediabile; nec advertit insipiens quid amittat. Confabulari, inquiunt, licet donec hora praetereat; quam tibi ad obtinendam veniam, ad inquirendam gratiam, ad agenda poenitentiam, ad promerendam gloriam indulset gratia Conditoris. Idem: Linguam detractoris mucrone, quo dominicum latus est confossum, crudeliorem dicere non verearis. Fodit haec enim corpus Christi, nec iam exanime [fodit, sed facit exanime] fodiendo. Nec nocentiores fuerunt spinae pungentes caput, neque clavi perfodientes manus et pedes, quam lingua detractoris, quae perfodit ipsum cor. PHILOSOPHUS dicit: Turpia ne dixeris, paulatim pudor per verba dilabatur. Loqui aliquando me poenituit, tacuisse numquam. Saepius auribus utere, quam lingua. Sit ergo omnis homo *tardus ad loquendum*, et sic iustitiam sanctorum poterit imitari, quia, ut dicit Iacobus: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir (Iac 3, 2)*.

*Et tardus ad iram*, quae impedit animum, ne possit cernere verum. De qua dicit PHILOSOPHUS: Quo minus presseris iram, tunc ab ira magis premeris. Iracundus cum irasci desierit tunc irascitur sibi. Respicere nihil consuevit iracundia. Et ideo bene dicitur: *Ira viri iustitiam Dei non operatur*. Sit ergo omnis homo *tardus ad iram*, ne cum diabolo in die irae irrevocabilem damnationis recipiat sententiam.

### III - De Spiritus veritatis inspiratione

15. --- Sequitur tertium. *Cum autem venerit ille*

***Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (Io 16, 13).*** Dum mulier praeparata ad capiendas animas, idest carnis voluptas et mundi vanitas, infelicem hominis spiritum deludit falsa delectatione, sensum transvertit. Unde in libro Sapientiae: ***Fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum (Sap 4, 12).*** Fascinatio est adulatio, vel cum laude deceptio. Fascinatio nugacitatis est laus adulationis vel deceptio mundanae prosperitatis, quae obscurat bona spiritualia; et inconstantia concupiscentiae carnalis transvertit animum. Sed, cum venerit ille Spiritus veritatis, illuminans cor hominis, tunc docet omnem veritatem et expellit omnem falsitatem.

Unde dicitur in Ioanne, quod angelus Domini descendebat in piscinam, et movebatur aqua et sanabatur unus. Cum angelus Domini, idest gratia Spiritus Sancti, descendit in piscinam, idest cor peccatoris, tunc movetur mens aqua compunctionis, et sanatur unus, idest verus poenitens, qui debet esse unus, corde et ore non divisus. ***Cum ergo venerit Spiritus veritatis, docebit,*** idest inspirabit vobis, ***omnem veritatem.*** Et nota quod, sicut generatio non potest compleri sine activo, sic homo non potest facere opus mere bonum sine veritatis Spiritu.

16. --- Unde palma, quae est femina, non facit fructum maturum nisi receperit vaporem alterius palmae, quae sit mas, per ventum vehementem illum. Unde Ecclesiasticus: ***Sicut palma exaltata sum in Cades (Eccli 24, 18),*** quod interpretatur translata vel mutata, quia homo non potest proficere sine Sancti Spiritus gratia, sicut palma non fructificat sine maris sui vapore. Et ideo homo, qui sine gratia est, non est aptus servitio divino, et est quasi homo sine testiculis, quia vim generandi bona opera non habet. De quo dicitur in Levitico: ***Omne animal, quod vel contritis vel tonsis vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino (Lev 22, 24).*** Ille habet contritos

testiculos, qui gratiam habet sed informem, et ideo non potest generare. Illi autem ablati sunt testiculi, qui nec gratiam informem nec etiam formatam habet.

**Sed, cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Cui concordat tertia particula hodiernae epistolae: *Propter quod*, inquit Iacobus, *abicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras (Iac 1, 21). Propter hoc*, scilicet ut Spiritum veritatis suscipere mereamini, *abicientes omnem immunditiam, animae et corporis, et abundantiam malitiae*, quae est cogitatio pravae mentis, *in mansuetudine*, quia mansueti hereditabunt terram (Cf. Ps 36, 11), *suscipite insitum verbum*, quod solis mansuetis, et columbinae mansuetudini assuetis, a Deo datur.**

**Et nota quod, sicut surculus arbori inveteratae insertus ipsam reiuvenescere et fructificare facit, sic Spiritus veritatis, menti dierum malorum inveteratae (Cf. Cf. Dan 13, 52) si fuerit insertus, ipsam reiuvenescere et fructum dignum poenitentia fructificare faciet.**

**Rogamus ergo, Domine Iesu, ut, qui de hoc mundo ad Patrem, nostrae humanitatis forma, ascendisti, fune amoris post te nos trahas, pro peccato non arguas, iustitiam sanctorum imitari et iudicium tuum pertimescere nos facias, et Spiritum veritatis, qui doceat nos omnem veritatem, nobis infundas. Te praestante, qui es benedictus, gloriosus per omnia saecula. Dicat omnis anima: Amen. Alleluia.**